



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

II. An ea, quæ in Diuinis sunt priora in vno genere, possint esse posteriora
in alio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

absoluta, ut Pater est, ergo Deus est.

32. Secundum verò patet, quia nullum prius prioritate subsistendi consequentia in Deo esse potest sine posteriore secundum eandem subsistendi consequentia: ergo talis prioritas in Deo non est realis, sed rationis. Antecedens est euidentius, nam absoluta, quæ in Deo priora sunt subsistendi consequentia respectiuis, nequeunt esse sine respectiuis. Consequentia verò probatur, nam eatenus hæc prioritas in rebus creatis est realis, quatenus prius separabile est ex natura rei à suo posteriore. Ut animal ex natura rei existere potest sine homine, licet non possit homo existere sine animali. Igitur si in Deo prius non est ex natura rei separabile à suo posteriore, non erit prius reale, sed rationis. Confirmatur, nam hæc prioritas coincidit cum ea quæ est inter vniuersalia & particularia, siue inter superiora & inferiora: sed talis prioritas & posterioritas in Deo non est realis, sed rationis, quia in Deo commune & proprium, siue superius, & inferius non distinguuntur realiter, sed sola ratione. Sola difficultas esse posset de prioritate secundum subsistendi consequentiam inter actus necessarios & liberos, an sit realis de qua infra.

33. Ex dictis deducitur in diuinis nullam esse prioritatem & posterioritatem in Quo, sed tantum à Quo. Fundamentum est, quia prioritas & posterioritas in Quo, aut est ipsa prioritas & posterioritas durationis, aut certè ad illam reducibilis, tanquam imperfecta ad perfectam eiusdem ordinis. A diuinis autem non solum abest omnis prioritas & posterioritas durationis simpliciter, sed etiam secundum quid; quia in diuinis non modò omnia re ipsa sunt simul in eadem mensura æternitatis, sed neque concipi possunt, ut existentia in diuersa durationis mensura, quia concipi non possunt in opposita mensura ab ea, in qua de factò sunt, alioqui falsa esset conceptio. Nam etsi possint à mensura æternitatis præscindi, non concipiendo illa, ut positiuè existentia in eadem æternitatis mensura, concipi tamen non possunt, ut positiuè existentia in diuersis instantibus durationis. Vnde non rectè à Scotistis in diuinis ita assignantur diuersa instantia & signa, ut ipsi vocant *Natura*, ac si re ipsa non omnia responderent eidem instanti durationis. Ut cum dicunt, Patrem in primo instanti seu signo naturæ esse perfectè beatum, absque notitia intuitiua personarum & creaturarum: nam cum notitia dicatur intuitiua per ordinem ad obiectum præsens in eodem signo & instanti durationis, esto non sit in eodem signo & instanti originis, non poterit dici, Patrem in priori signo originis non habere intuitiuam notitiam personarum & creaturarum: quia cum prioritate originis sit similitudo durationis principij producentis & termini producti; atque adeo cum prioritate originis in Patre sit intuitiua notitia de personis productis & actu existentibus in eodem signo æternitatis.

34. Ad argumenta primæ sententiæ. Ad pri-

mum ductum ab autoritate Patrum Resp. Patres solum negasse in diuinis prioritatem & posterioritatem dignitatis, & durationis. Argumentabantur enim contra Arium, qui utramque prioritatem & posterioritatem fingebat in diuinis personis; asserbat enim, Patrem esse Filio maiorem, atque priorem. Constat ex eodem citato Symbolo Athanasij, ubi ea tantum prioritas & posterioritas negatur diuinis personis, cuius similitudo in eodem Symbolo affirmatur. Atqui sola similitudo durationis & dignitatis in eodem Symbolo affirmatur, ut patet cum dicitur, *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius, aut minus: sed tota tres persone coæternæ sibi sunt & coæuales*. Tum ex reliquis Patribus, qui expressè negant in diuinis solam prioritatem & posterioritatem durationis & dignitatis, ut manifestum erit eos perlegenti. Tum quia, cum prioritas & posterioritas simpliciter prolata sit pro suo principali analogato, quod est prius & posterius durationis, noluerunt illam simpliciter Deo concedere, sed semper cum addito limitante ad solam prioritatem & posterioritatem originis, ut supra vidimus.

35. Ad secundum ductum ex ratione Respondeo, personam diuinam, producentem esse priorem origine persona ipsa producta, non ratione essentiae, sed relationis; non ut formaliter exercet munus referentis, sed originantis, & constituentis tum potentiam producendi, tum suppositum ipsum producens. Ad confirmationem nego antecedens. Fundamentum verò secundæ sententiæ, quatenus conuenit cum fundamento primæ, negandum est: quemadmodum & fundamentum tertię, quod ex dictis satis impugnatum manet.

SECTIO II.

An ea, quæ in diuinis sunt priora in uno genere, possint esse posteriora in alio?

36. **H**ANC quæstionem non reperio sub his terminis ab aliquo Authore positam, facillè tamen colligi potest ex ijs, quæ de prioritate & posterioritate originis Scholastici de Deo disputant: & alioqui ea necessaria est ad plurimas implexasque difficultates, quæ in hac materia de Trinitate sæpe occurrunt, enodandas. Quare operè pretium duxi illà sub his terminis vniuersaliter examinare, ut ex ea vniuersales regulæ pro occurrentibus difficultatibus nobis subministrarentur ad rectè concipiendum, & loquendum de prioritatibus & posterioritatibus, quæ in Deo assignari solent.

37. PRIMA sententia negat: eaque apertè colligitur ex doctrina Scoti, negantis Verbum procedere ex intuitiua notitia personarum, & creaturarum possibilem. Eo quod notitia, qua Verbum ipsum producit,

origine præcedit, sicut & ipsum Verbum natura præcedit creaturas possibles, quæ sententia aperte supponit, non posse eandem notitiam, qua Verbum producit, esse priorem origine ipso Verbo, & simul posteriorem eodem Verbo, & creaturis possibilibus, in ratione obiecti ad cognitionem præsuppositi. Fundamentum esse potest, quia quod est prius origine, est prius simpliciter: quod autem est prius simpliciter, nullo pacto potest esse posterius respectu eius, respectu cuius est prius simpliciter. Minor constat, quia quod est prius simpliciter, supponitur sub omni modo & ratione independens ab alio: igitur neque secundum quid potest esse posterius & dependens ab alio. Maior probatur, quia quod est prius origine, debet suo posteriori communicare esse simpliciter: quod autem debet esse simpliciter alteri communicare, debet ab illo esse omnino independens, & prius omni prioritatis genere.

38. SECUNDA verò sententia affirmat: eaque colligitur ex opposita doctrina eorum, qui docent, Verbum diuinum aut de facto procedere ex notitia intuitiva personarum & creaturarum possibilem, aut certè ex hoc capite mutue prioritatis & posterioritatis in diuerso genere non repugnare, quin illud hoc modo procedat. Colligitur etiam ex doctrina eorum, qui mutuam prioritatem & posterioritatem admittunt in actibus intellectus & voluntatis diuinæ; nec non in obiectis ipsis tales actus terminantibus; cum sit eadem ferè vtriusque ratio. Pro propositæ controuersie explicatione,

39. DICO. Nulla sequitur contradictio, ut ea, quæ in diuinis sunt priora in vno genere, sint simul, aut etiam posteriora in alio genere; atque adeo ita de facto asserendum est ad melius faciliusque saluandas multas difficultates Theologicas, quæ sine hac mutua prioritate & posterioritate in Deo vix saluari possunt. Assertio constat primò in rebus creatis, in quibus sine vlla contradictione, quæ in vno genere sunt priora, non repugnat in alio genere esse posteriora. Ut materia est prior forma in genere subiecti primi receptiui. Rursus forma est prior materia in genere actus substantialiter actuantis. Item agens est prius subiecto in genere efficientis educatiui, rursus subiectum est prius agente in genere subiecti sustentatiui. Finis est prior agente in ratione mouentis: agens est prius fine in ratione exequentis. Quælibet substantia creata est prior suis proprietatibus in genere causæ originantis: proprietates sunt priores substantia in genere formæ informantis, & disponentis. Ergo ascendendo ad diuinam, non repugnat, ut Pater sit prior Filio in ratione principij originantis, & simul cum Filio in ratione correlatiui referentis ac mutuo respicientis; imò & posterior Filio in ratione obiecti & termini specificantis, ac terminantis ipsam transcendentalem relationem paternitatis: cum non minus Pater supponat Filium in ratione obiecti, & termini spe-

cificantis ipsam transcendentalem relationem paternitatis, quam Filius Patrem in ratione originantis, & communicantis naturam.

40. Confirmatur primò. Nam in omnium ferè sententia personæ diuinæ sunt simul natura, duratione, & cognitione: natura, quia nequit vna persona diuina existere sine alijs; duratione siue æternitate, quia vna est omnium interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio; cognitione, quia repugnat, vnam perfectè cognosci sine alijs. Cum hac tamen triplici simultate stat prioritas vnus, & posterioritas alterius in ratione originantis & originatæ. Ergo cum eadem in prioritate & posterioritate stare poterit simultas, aut etiam prioritas & posterioritas in quolibet alio genere, Deo non repugnante. Cuius ratio à priori est, quia ut aliquid sit posterius altero sufficit, ut habeat talem connexionem cum illo, ut eo implicante, implicet & hoc, & eo non existente, neque hoc existere possit. Talem connexionem habet Pater cum Filio & Spiritu sancto. Igitur Pater est aliqua ratione posterior Filio & Spiritu sancto. Minor patet, quia implicante, Filio, vel Spiritu sancto indicaret & Pater, vel secundum rationem paternitatis respectu Filij, vel secundum rationem spiratoris respectu Spiritus sancti. Atque hoc non tantum identicè, & per locum extrinsecum, sed formaliter, & per locum intrinsecum.

42. Confirmatur secundò, quia licet repugnet, ut vna & eadem formalitas sit, aut concipi possit prior & posterior simul respectu eiusdem; nam etiam secundum rationem implicat, ut vna & eadem formalitas concipiatur cum opposita affirmatione, & negatione simul: concipitur autem cum opposita affirmatione & negatione simul, si concipiatur ut prior & posterior respectu eiusdem. Nam quatenus concipitur prior, concipitur ut independens ab alia: quatenus verò concipitur ut posterior, concipitur ut dependens ab eodem. Non tamen implicat, ut vna & eadem res secundum diuersas formalitates, virtualiter tantum distinctas, possit concipi prior, & posterior respectu diuersorum. Cuius ratio est, quia si illæ formalitates essent à parte rei distinctæ, possent esse priores & posteriores respectu diuersorum: ergo etiam identificatæ, & virtualiter tantum distinctæ, poterunt esse priores & posteriores respectu diuersorum. Consequentia probatur, quia identificatio non tollit quidditatuam existentiam identifierum, ut patet de relationibus diuinis, quæ ex eo quod identificentur cum essentia, non amittunt quidditatuam oppositionem ad inuicem. Ergo etiam plures formalitates à parte rei identificatæ continere possunt prioritatem & posterioritatem respectu diuersorum; quam prioritatem & posterioritatem, si essent distinctæ à parte rei, illæ haberent.

43. Ex hac doctrina, multa deduci possunt, quæ in proprijs materijs ex professo tractantur. Sed ne eadem repetantur, remitto ea ad proprias tractationes. Solum hic adnoto, hanc mutua prioritatem & posterioritatem in diuerso genere non modo admittendam esse inter diuinas personas, secundum diuersas rationes consideratas, sed etiam inter diuina attributa, nec non inter actus diuini intellectus & voluntatis; atque inter obiecta ipsa, vt tales actus terminantia. Item inter perfectiones absolutas & respectivas inuicem comparatas. Quo fit vt non semper hæc mutua prioritas & posterioritas sit realis, sed interdum realis ex vna parte, rationis verò seu virtualis ex alia: interdum autem rationis seu virtualis ex vtraque parte, iuxta naturalem exigentiam extremorum, quæ mutuo comparantur vt priora & posteriora secundum diuersas formalitates & rationes.

44. Ad fundamentum primæ sententiæ Respondeo, distinguendo maiorem: nam si per prius simpliciter, intelligatur prius non tantum secundum originem, sed etiam secundum alias rationes prioritatis, neganda est maior, quæ potius erat probanda, quàm supponenda. Siquidem cum prioritate originis non repugnat posterioritas in alio genere, vt probatum est. Saluatur enim prioritas originis, si produciens habeat suum esse independens à producto, in eo duotaxat genere, in quo illud debet communicare producto. Si verò per prius simpliciter, intelligatur prius secundum potiore & principaliorem rationem prioritatis, concedenda est maior. Nam inter omnes prioritates, quæ Deo conuenire possunt, potissima est originis, per quam vna persona realiter communicat esse alteri. Alioquin quæ inter omnes prioritates principem locum tenet, auctore Philosopho in Prædicamentis cap. de Priore, est prioritas durationis, secundum quam vnum dicitur antiquius alio. Cæterum sicut cum prioritate durationis, quæ est omnium potissima, stare potest posterioritas in alio genere: ita cum prioritate originis non repugnat posterioritas in alio genere. Ex his patet ad probationem maioris; cuius neganda est minor.

SECTIO III.

Quo pacto ordinanda sint signa prioritatis & posterioritatis in actibus intellectus & voluntatis diuinæ?

45. SUPPONENDUM est, hæc signa non esse signa Prioritatis, & Posterioritatis realis, sed tantum rationis, & virtualis duntaxat præsuppositionis vnus formalitatis ad aliam, quatenus secundum rectum ordinem rationis vna formalitas concipienda est prior alia ab intellectu, non valente vnico actu con-

cipere totam perfectionem obiecti. Vt posito, quod non possit vnico actu simul concipi perfectio intellectus & volitionis diuinæ, rebus ordo concipiendi, fundatus in rebus ipsis poscit, vt intellectus concipiatur prior volitione, tum quia in rebus creatis, ad instar quarum increatas concipimus, intellectus præcedit volitionem: tum quia ipsa plenitudo diuini actus postulat, vt prius concipiatur secundum vnā formalitatem, quàm secundum aliam. Nam sicut formalitates intellectus & volitionis per mutua identificationem non amittunt proprium esse intellectus & volitionis in Deo, ita nec naturalem exigentiam, vt vna concipienda sit prior alia.

46. Est autem hoc suppositum tum contra Scotum opinantem, hæc signa non esse tantum rationis, sed ex natura rei, qui propterea, vt supra vidimus, appellat signa siue instantia naturæ, ad cuius prioritatem & posterioritatem docet, non sufficere solam distinctionem rationis. Tum contra Ocham. Gabriel. in 1. dist. 9. quæst. 3. ad finem, & Gabrielem in 3. dist. 2. dubit. 3. in fine, negantes huiusmodi signa & instantia rationis in actibus diuini intellectus & voluntatis. Nos tamen prædicto supposito, vt certo admissio, tum ex Patribus, qui sæpe huiusmodi signis vtuntur ad explicandum mysterium diuinæ prædestinationis, vt patet ex Augustino pluribus in locis, & ex Prospero in epist. ad Augustinum ante librum de Prædestinatione Sanctorum; tum ex communi sententia Theologorum, qui hæc signa admittunt ad explicandas varias dependentias, quas obiecta ipsa vt à Deo voluta important. Vt iterum explicandum superest, quo pacto, & vnde sumenda sit hæc proprietas, & posterioritas in actibus intellectus, & voluntatis diuinæ.

47. PRIMA sententia est Caietani 3. p. qu. 1. art. 3. §. Ad euidentiam horum, distinguens Vniuersum hoc in tres ordines, naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ. In primo ordine collocat res omnes naturales; earumque defectus, tam purè naturales, vt monstræ, ægritudines, ignorantiam; quàm morales, vt peccata, quæ collocat in ordine naturæ, quia solius naturæ viribus committuntur. In secundo collocat omnia dona gratuita, & supernaturalia naturæ superaddita. In tertio vnionem Verbi cum natura creata. Porro hos ordines ita combinat, vt in diuina mente primus præsupponatur ad secundum, secundus verò ad tertium. Quare iuxta hunc ordinem ita docet coordinanda esse signa & instantia rationis in actibus intellectus, & voluntatis diuinæ; vt quæ spectant ad ordinem naturæ, præconciipienda sint priora ijs, quæ spectant ad ordinem gratiæ; & quæ ad ordinem gratiæ pertinent, præconciipienda sint priora, quàm quæ pertinent ad ordinem vnionis.

48. Ex qua doctrina colligit, Incarnationem CHRISTI, vt potè spectantem ad tertium ordinem, prædestinatam esse post præuius peccatum originale, in cuius remedium

Scotus.

Ocham.
Gabriel.

Patres.

August.
Prosper.

Theologi.

Caietanus.

Aristoteles